

DISCURSUS JURIDICUS

De

SUPPLICATIONI-

BUS PRO EXTRAHENDIS

PROCESSIBUS,

*Quem conscripsit, &*

DIVINA FAVENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO,

*Amplissimi, Excellentissimi, Consultissimiq; VIRI*

D. N. CONRADI CARPZOVII,

J. C. in antiquissimâ atque celeberrimâ VVitte-

bergensi Academiâ Antecessoris meritissimi, ut & Juri-

ridicæ Facultatis, Curiaq; Electoralis ac Consi-

storii, Assessoris dignissimi &c.

Domini Patroni, Præceptoris atque Pro-

motoris sui submissâ observantiâ

honorandi.

*Publicæ Eruditorum censura subjiciet ac pro*

*virili suâ defendet*

JOHANN. WOLFGANGUS PSEJG

Not. Pub. Gundelfingâ Brisgous.

*In Auditorio Jctorum.*

Ad diem 12. Septembris anni subsignati.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,

ANNO M DC XXIX.

*Celsissimi Illustrissimiq; Principis ac Domini,  
Dn. GEORGII, Hassia Landgravi &c.  
Principis mei Clementissimi.*

Cancellario Gravissimo.

*Viro Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo,  
DN. ANTONIO Wolff à Todtenwardt /  
Jcto ac Com. Palat. summa Dignitate atque  
Autoritate præstantissimo.*

UT ET

*Viris Amplissimis, Consultissimis, Excellentissimis, Reve-  
rendis, Clarissimis*

Dn. GEORGIO GOLLIO, J. U. D. præcellentis-  
simo, Augustissimi, quod Spiræ est, Dicasterii Procuratori &  
Advocato celeberrimo, inclytæq; Reip. Argent.  
Patriæ Syndico dignissimo.

Dn. PAULO FRIDERICI, J. U. D. Excellentis-  
simo, Practico decantatissimo, Senatus secundarii in eadem  
beatâ Argentoratensium Rep. Judiciiq; ibidem Ma-  
trimonialis Advocato & Procuratori Ordini-  
nario, emerito.

Dn. CHRISTOPHORO BREMMERO, J. U. D.  
eximio, Ejusdem Imperialis Camer. & Judici  
Advocato Spectatissimo.

Dn. M. CONRADO STALPIO, Ecclesiæ,  
Christo in Wolffenweyer collectæ, Pastori  
religiosissimo.

*Dn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus, Omni-  
bus & singulis submissâ observantia, omniq; officio-  
rum genere perpetim honorandis.*

In legalis studii monumentum.

*Hasce de Supplicationibus positiones.*

D. D. D.

*Johan. Wolffg. Pfeil / Auth. earundem  
& Respondens.*

Invocato Divino Numine

suppliciter.

DISPUTATIONIS JURIDICÆ


De

SUPPLICATIONIBUS PRO

EXTRAHENDIS PROCES-

SIBUS,

Præfatio.

Um DEO Praxi aliquando mihi operam daturus, utilius fore prebendi, in forensium controversiarum assiduâ aliquâ materiâ potius, quam antiquorum Actorum responsis pervolvendis, multum operæ temporisq; collocare: nam his, laudem ingenii & acumen, velut ostendentibus, non minus sæpe subtilitatis inest, quàm frugis: ad rem tamen ipsam quando tandem perventum est, eandem fabulam, mutatis saltem personis, perpetuò agitari videmus. Occurrit itaq; præ cæteris controversiarum judicialium velut quoddam exordium, materia videlicet de Supplicationibus; res sanè cognitione dignissima: læsis pressisq; viam aperiens,  
A 2 quâ

105

quâ ratione multis interdum vexati injuriis, jus suum obtinere possint: quamvis hoc loco non dissimulem, nonnulli interdum, Et quidem Justitia sacerdotes se profitentes, erga ejusmodi verè pressos, ab omni justitia sese interdum ostendere vacuos, forsan quod iis profusioribus sumptibus atque muneribus obviare non possint: id quod fieri non debet. Verùm ne ultra, quàm par est, sapere videar, nec longius ab instituto discedam, INVOCATO DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO, positionem facimus.

I.

VERBUM SUPPLICATIO (a) in jure nostro satis frequens (b) est, ac πολύσημον (c) & definitur summaria controversiæ, jurisque ex quo agitur, recensitio, juncta petirione pro decernendis processibus. (d)

(a) Deductum à sub, & plico: forsan quod complicatis manibus nos illi submittamus, cujus imploramus opem: Vmmius de process. judic. dist. 5. th. 1. n. 1. vel ducto more à miseris, qui plicatis manibus ferè rogant. Calvin, in medull. Lex. Jur. lit. 8. (b) teste quotidianâ praxi. Omnes enim hodiè aulas Principum, omnia consistoria Supplicationibus plena esse, refert post alios Bender. de Revis. Concl. 25. n. 55. idque propter naturalem hominum dissentendi facilitatem indeque existentem litium multiplicitem, quarum nullus neque finis neque modus est, his teterrimis temporibus. Wesenb. in parat. de Judic. n. 13. quæ prius finiri non possunt, quàm petatur & ita supplicetur. arg. l. si finita 15. ff. de damn. inf. ibiq; Bart. Wesenb. in parat. C. de prec. Imp. off. n. 2. preces enim præcedunt, sequuntur rescripta. Mind. de process.



process. lib. 1. cap. 1. n. 4. & qui non postulat, experiri non potest.  
tex. in l. Dies Cautioni 4. §. Hoc autem 8. ff. de damn. inf. l. ad perempto-  
rium 68. ff. de Judic. Gail. 1. obs. 50. n. 3. cum seqq. Propter utilitatem  
tamen publicam Judicem ex officio procedere posse, non dif-  
fitemur. l. congruit 13. ff. de off. Praef. Gail. d. loc. n. fin. Eas tacemus  
supplicationes, quas (ut generaliter loquamur) pro venia im-  
petratione, multa remissione, gratia criminis, conferendis mu-  
neribus, maturandis sententiis, Confirmatione Contractus Transa-  
ctionis, Tutelae, Legitimationis &c. Judicibus porrigimus: ita  
ut nulla etiam magistratus domus iis non pateat. Bender. de Revis.  
Concl. 15. n. 55. (c) Generalissimè pro omni libello, cuius Ju-  
dici ante processum, in processu, ante & post sententiam, ob-  
lato sumitur. Mind. lib. 1. cap. 2. n. 5. & 6. Ferrar. Mont. de Supplic.  
C. 1. §. utilis itaq;. Prout qualitas cujusque desiderii hoc exigat.  
Aliquando specialius pro restitutione in integrum, quae per sup-  
plicationem sive implorationem nobilis officii Judicis solum  
indulgetur, cum nulla actio ordinaria ad eam obtinendam  
competat l. in caussa 16. ff. de minor. l. quod si minor. 24. §. fin. ff. de  
min. cap. 2. X. de off. Jud. ibiq; Bart. & Panorm. Aliquando Suppli-  
catio dicitur reclamatio ab eâ sententiâ, à quâ propter excellen-  
tiam Judicis de jure appellari non potest. l. un. C. de sent. Praef.  
Praet. l. un. §. His cunabulis ff. de off. Praef. Praet. l. si quis advers. 5. & Auth. Quae  
Supplicatio C. de prec. Imp. off. ibiq; Dd. Marant part. 6. vers. de Appellat. n.  
12. Differentias inter Appellationem & supplicationem vid. si lubet a-  
pud Jaf. ad d. l. si quis advers. n. 2. Negamus porrò ad hoc genus Suppli-  
cationis referri Revisionem: nam contra latam à Judice Camere  
Imperii: sententiam sicut nec appellari, ita nec supplicari potest.  
Ord. Cam. p. 3. tit. 51. ratio, quod ubi ex natura causae est prohibita  
appellatio, etiam prohibetur supplicatio Dd. in l. fin. C. ut lit. pend.  
vel post prov. &c. Ruland. in tr. de Commiss. lib. 2. n. 5. Jaf. ad d. Auth. Quae  
Supplicatio C. de prec. Imp. offer. n. 6. Sed gravata pars post latam diffi-  
nitivâ duos menses ante Calendas Maii Electori Mogunt. tanquâ  
Imperii Cancellario in scriptis significare debet Syndicatû tan-  
tummodò, aut actorum Revisionem petere sibi animum esse.  
Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. damit auch &c. Disb. Bender de Revis. Concl. 25. n. 55.

*in fin.* Cui Supplicatio idem quod Revisio : differentias vid. in  
Gothof. notus ad l. 1. §. 2. ff. de quib. appell. non lic. Verbum Senatu. ord. Cam.  
p. 3 d. 1. §. Erstlichen soll &c. ubi Denais. Aliquādo sumitur pro extra-  
judicialium Supplicantium desideriis, quæ varia & infinita sunt,  
de quibus supra lit. B. aliquid jam diximus. Tandem etiam su-  
mitur pro alterius opis imploratione ad hoc, ut processus sibi  
decernat, adversariumque suum citari faciat : de quò in præ-  
senti. (d) Vult. lib. 2. Jurispr. Rom. cap. 27. Schvvanmann. lib. 1. c. 1. n. 11.  
paulò aliter Cujac. & Wesenb. in parat. C. de prec. Imp. off. quæ tamen  
Cujacii & Wesenbecii definitiones nostrâ generaliores sunt,  
judicialibus & extra judicialibus Supplicantium desideriis ad-  
commodatæ.

## II.

Supplicationum preces aut veræ sunt aut falsæ:  
(a) verarum unum genus (b) falsarum plures species esse  
videntur, (c) quas generaliter sub, & obreptitias dici-  
mus. (d)

(a) L. fin. C. de prec. Imp. off. ibique Wesenb. n. 3. c. ex parte 15.  
de for. comp. l. 3. C. si contr. jus vel util. Mind. lib. 1. cap. 15. n. 2. (b) Si-  
cut una & simplex est veritas. Wesenb. & Mind. dd. locis. (c) Non  
veræ. l. fin. C. si contr. jus vel util. pub. fraudulentæ l. 4. C. Eod. tit.  
Mendaces l. 2. l. 5. C. d. tit. (d) Quando videlicet per falsi sugge-  
stionem veriq; suppressionem quid impetratur : At quia men-  
dax precatore carere debet potest. c. sedes. c. si quando X. de re-  
script. c. super eo. de crim. fals. Wesenb. in parat. C. si contra jus. n. 2. man-  
data & rescripta falsis precibus impetrata per cassatoriam sen-  
tentiam annullari, consequens est : tam ipso jure, l. etsi legibus 5.  
ibi, careat penitus impetratis C. si advers. util. Gail. 1. observ. 14. n.  
5. quàm mediante Exceptione sub & obreptionis : Quæ exce-  
ptio generalissima est, & omnibus Mandatis seu Monitariis cū,  
vel sine clausula sub & obreptivè impetratis, tanquam scutum  
opponi potest. Mind. lib. 1. ca. 15. n. fin. Creditur namque nar-  
ratis suspensivè, donec constet, quod preces veritate nitantur.  
Anchbar. consuet. 240. n. 4. Gail. 1. observ. 14. n. 1. Si tamen aliqua  
de



de contingentibus in factis fuerint in supplicatione omissa, talis Exceptioni nihil operatur. *Jas. ad l. 1. C. si contra jus &c. n. 1. & 2. Gail. 1. observ. 14. n. 5.* Cæterum differentia inter Subreptionem & obreptionem nulla est, *l. si quis obrepserit. ff. Ad l. Corn. de fals. l. si hac s. patronum ff. de in jus voc. ibi, dum arrogaretur per obreptionem: cum hoc ipso, quod arrogatur celat conditionem suam: & l. fidejussor s. si cum ff. Mand. vid. Menoch. de arbitr. quest. jud. lib. 2. Cent. 3. Cas. 101. n. 9. cum seq. Jas. ad l. Prescriptione C. si contr. jus: num. 1. Dis. Vvesenb. in par. C. de prec. Imp. off. n. 3. & n. 8. idem C. si contr. jus: vel n. 1.*

### III.

Supplicat porro quisquis processum extrahere cupit (a) & quidem futuro Judici tantum (b) cujus erga Supplicantes officium est, eorum desideria benignè excipere, (c) jus etiam atque Justitiam paratè impartire. (d)

(a) Modo non sit servus. *l. 1. C. de prec. Imp. off. Bannitus sive Proscriptus Imperii. text. not. in l. si qui reus s. ff. de publ. judic. ord. Cam. p. 2. tit. 9. §. So jemand &c. v. so bald auch. ibi Denais. cap. 49. num. 1. Juribus, nominibus & actionibus excidunto. Schyvan. Obs. Pract. obs. 51. n. 3. excommunicatus. c. 1. de Rescript. in 6. nisi quid supplicetur ad hoc, ut citius redeat ad gremium Ecclesiæ. Jas. ad l. universis C. de prec. Imp. offer. n. 1.* Et licet præterea Principales ipsi supplicare possint: Procuratores tamen Camerae jurati nomina sua libello supplici subscribere, deque rato & mandato cavere tenentur præcisè *Ord. Cam. part. 1. tit. 22. §. Es soll auch &c. Visit: Abschied de anno 62. §. vnd sollen. &c. Vers. gleicher gestalt. &c. Denais. cap. 293. §. 3. non subscriptus punito arbitrariè Procuratore rejicitur. Denais. d. cap. 293. §. fin.* Nec diffitemur, quod regulariter quidem cuilibet advocandi munere fungi liberum sit, consultius tamen putamus litigantibus in Camera, si ejusdem Styli gnaros in concipiendis supplicationibus adhibeant Patronos, ne propter inconcinnos sæpè & informes libellos supplices, da nembligh die narrata weder formbligh

lich noch schließlich sein / processus eis denegentur, inaniq; tem-  
poris & expensarum jactura vexentur : Stylus enim Judicii  
pro lege habetur *Gail. 1. observ. 1. n. 1.* adeo, ut scripto etiam juri  
preferatur : *Pfeil Conf. 60 n. 20.* Et in Camera Imperiali pro-  
cessus ratio accuratissima exquisitissimaq; est. *Mind. de Process.*  
*lib. 2. cap. 20. n. 12.* Adeoque tam absconditæ nonnunquam  
qualitates exprimendæ, ut etiam mediocriter in stylo Camera-  
li versatum fugiant. Exemplum vid. si placet. *apud modo d. Petr.*  
*Mind. de process. lib. 1. cap. 6. n. 9.* de quo infra ad formam Suppli-  
cationum fufius. Supplicare porrò tantum actoris est, teste  
*quotidianâ praxi*, ubi semper in Supplicationibus Supplices  
Klägere / illi verò, contra quos Supplicatur, *Beflagte* vocitan-  
tur. *Schyvanm. & Meurer. in suis formulis Supplicationum.* Sanè in  
judicio *L. diffamari* contra esse videtur, ubi prius reus pro cita-  
tione *ex d. l. supplex* fieri videtur : Cum autem Supplicans sim-  
pliciter Reus non sit, nisi quoad causam, unde diffamatio de-  
scendit, fit, ut forsitan nec in hoc passu thesis nostra veniat limi-  
tanda. (b) *Ord. Cam. part. 1. tit. 22. ibi, es soll der Procurator jedes  
mahl seine Supplicationes in den rechten Rath darin der Cammerich-  
ter ist &c. Uberantworten lassen.* *Vmmius de process. judic. disp. 5. th.*  
*1. n. 5. Mind. lib. 1. cap. 4. n. 6. Denais. cap. 294. n. 5. ibi, Judici Præsi-  
dibusve in manus traduntor : Secuti forsitan regulam, ut sem-  
per ad fontem ipsum non ad rivulos confluumus : nam*

*Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

Dissentire videtur *Schyvanm. 1. process. Camer. cap. 1. num. 1*  
cui tutius & melius est, Notariis, sive den *Supplication Me-  
stern* / uti vocant, Supplicationes exhiberi. Tu, cum *Jason*  
*ad Auth. Que Supplicatio C. de prec. Imp. off. n. 3.* Non ut ipsi co-  
gnoscant, sed referant : nobiscum Supplicationes distribuam  
*Denais. cap. 275. §. 1. referre enim Assessorum est.* (c) Ita ut sen-  
per aditus pandatur Supplicanti. *l. quoties, C. de prec. Imp. off. §. 2.*  
*Inst. de his qui sunt. &c.* Eumque observare oportet, ut sit ordo a-  
liquis postulationum, scilicet ut omnium desideria audiantur,  
ne forte, dum honori aliquid datur, vel improbitati ceditur,  
mediocres desideria sua non proferant. *text. eleg. in l. Nec quic-  
quam*

quam 9. §. 4. ff. de off. Procons. Hinc scitè illa vidua Philippo Macedonum Regi, causam audire detrectanti, ó Rex, ait, aut causam meam audire te oportet, aut non Regem agere. Idem de Adriano Cæsare memoratur, quod, cum Eum aliquando transeuntem mulier rogasset, ut se audiret, illeq; responderet otium sibi non esse, mulier clamans dixerit, noli ergo imperare: ubi conversus Imp. eam audivit: referente Mind. lib. 1. cap. 5. n. 3. (d) Ord. Cam. p. 1. tit. 10. §. Es soll auch &c. ibi, damit die Supplicationes gesünder / vnd nicht drey oder vier Tag ligen bleiben: inde est, ut abfuturi Assessores Supplicationes apud se residuas ante abitum vel absolvere, vel si res non ferat, Judici Vicariove inter alios distribuendas, restituere teneantur. Denais. cap. 296. §. 1. & §. 4. De rebus tamen dubiis & intricatis cognoscendis spacium indulgetur largius: ne, quod Pfeil cons. 158. n. 6. §. Quibus &c. lamentatur, plerique ex ambitione, quod propter moram deliberandi cæteris imperitiores videri nolint, te non admodum accuratè pensatà verè tumultuarias sententias præcipitanter effutiant, dum manè accepto processu, vesperi de causa pronunciant: bona namq; & gravis causa, bono indiget consilio, & ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum. Pfeil Cons. 182. n. 42. & Vulg. præsertim si inter Assessores statim non conveniat, quid juris sit. Ordin. Cam. p. 1. tit. 13. §. Weiter ordnen &c. Si quæ etiam causæ adeò sint spinosæ & inextricabiles, ut nec communi Assessorum consensu resolvi queant, ad Cæsarem & ordines Imperii per Moguntinum ex transmitti debent. Reichs-Abscheidt zu Speyr de anno 57. §. Ferner demnach etc.

#### IV.

Res ob quas Supplicationes fiunt, nobis omnes sunt illæ, quæ in iudicium deducendæ veniunt: (a) Criminales, (b) matrimoniales (c) Spirituales, (d) cæterasq; Jurisdictionem fundatam non habentes (e) in Augustissimo Imper: Camere Judicio tam primæ quam secundæ instantiæ excipimus.

B (a) Ergo

(a) Ergò sive in rem, sive in personam, idque tam civili-  
ter, quam criminaliter quis agere velit, Supplicationis usum  
esse statuimus. *Vmm: de process. jud. disp. 5. hb. 2. n. 6.* Neque e-  
nim quisquam sibi ipsi jus dicere potest, *eleg. & singularis text. in l.*  
*Exstat. 13. ff. Quod met. caus.* Ut ob id semper Supplicandum sit,  
quotiescunque alterum quid nobis facere, dare, debere, in-  
tendere volumus. *Vmm. d. loc.* (b) *Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. Item*  
*nach dem etc. R. A. zu Augspurg de anno 1530. §. Item als jeh erlich*  
*&c. nec quidem per viam simplicitis Q. intentatae: Gail. 1. ob-*  
*serv. 1. num. 28, sentit longè diversius. Mind. lib. 1. cap. 9. n. 1. cum seqq.*  
Verùm ei, quo minus nos assentiamur, ordinatio Camerae fa-  
cit, *in d. §. Item nach dem etc. ubi Nullitates processus ( de*  
*quibus postea: ) Crimen fractae pacis. Ord. Cam. p. 2. tit. 9. §.*  
*So jemand. Perduellionis. d. p. tit. 20. §. Weiter ob sich & S. Als nemb-*  
*lich. Blasphemiae. Reichs Abschied zu Eöln de anno 1512. tit. Von*  
*den Gottslästerern §. Wo aber einige &c. Comporationis d. t. Von*  
*den Gotteslästerern §. Desgleichen wiewol vers. vnd ob einig in fin.*  
*Libelli famosi ultio &c. (quæ omnia Capitaliter coerceri pos-*  
*sunt, alleg. text. l. 6. pr. ff. de injur. l. 1. C. de fam. lib.) tantum excipi-*  
*untur: jam exceptio à regula cætera non excepta firmat. l. 12. ff.*  
*judic. l. fin. §. Cui dulcia ff. de trit. vin. vel ol. leg. Dd. in l. 1. ff. de R. l. l. nam*  
*quod liquide. §. si cui ff. de pen. leg. Pfeil cons. 166. n. 3. (c) Gail. 1. ob-*  
*serv. 112. in fin. Mind. lib. 1. cap. 10. num. 7. partim quod criminalibus*  
*æquiparentur, Gail. 2. observ. 94. in pr. cum ibi cit.* Et ita ex iden-  
titate rationis: partim quod causæ matrimoniales præcipuè  
sint spirituales, & sacramentales. *c. gaudemus. de divort. c. fin. de*  
*condic. appof. c. omne 27. q. 2. & Canonistæ comm.* E. non coram  
Judice laico sed Ecclesiastico ventilari debent: *cap. 1. de consang.*  
*& affin. c. causam matrimonii de offic. deleg. cap. 2. & 3. de jud. qui in*  
*Appellatoriis Judiciis proximè superior est Sedes Episcopalis*  
*Mogunt: supremus Pontifex.* Planè in utraque tam crimi-  
nali, quam matrimoniali causâ ex capite nullitatis Camera  
Supplices audire, iisque necessarios processus decernere,  
nullum dubium est. *Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. Item nach dem &c.*  
Quo in casu nullitas cum iniquitate sententiæ simul deduci de-  
bet, idque alternativè, ut primùm nulliter, & si nullitas nulla  
appa-

appareat, tum demum inique iudicatum esse, pronunciari pe-  
tatur. Ord. Cam. p. 3. tit. 34. Specialius & eleganter satis vid. Gail.  
1. observ. 1. num. 28. (d) quia Laicus in causis spiritualibus iudex  
competens non est: Dd. in cap. contingit. X. de arbitr. Innoc. III.  
in cap. Ecclesia de constit. cap. fin. de reb. Eccles. cap. 2. de iudic. Pfeil  
cons. 133. num. 1. Nisi earum quaestio super possessorio temporalis  
habetur: Mind. lib. 1. cap. 11. num. 15. inde memini, Dom. D. Goll:  
Camera Procuratorem & Advocatum celeberrimum, Patro-  
num meum Maximum, aliquando retulisse, se utcun-  
que causa sit spiritualis, (modò ejus factum super mero pos-  
sessorio juris patronatus omninò civiliter proponatur) in Ca-  
mera processus impetraturum: Cui consentire videntur. Gail.  
1. observ. 38. num. 4. & observ. 30. num. 20 Mind. dic. loc. in fin. Schyvan-  
mann. observ. pract. observ. 8. num. 1. cum seqq. Mynsinger. cent. 2. observ.  
67. idque summa nititur ratione: Ne videlicet Principes pau-  
latim Romam vocentur, & trahantur ad litigandum ibi de suis  
feudis, territoriis & Dominiis: quod iniquum satis, legibus  
quoq; & Canonibus contrarium esset, quibus cautum, ne Lai-  
corum Jurisdictio evacuetur, fatigetur, vel depereat. cap. licet.  
10. cum cap. seq. de for. Comp. Auth. Clericus quoque: & l. repetita 41.  
C. de Episc. & Cler. c. si clericus 5. de for. comp. idem probat cap. 1. cap.  
2. cap. 12. cum c. seq. Eod. & Auth. Clericus. Auth. Statuimus C. de Episc.  
(e) Jus namque extra territorium dicenti, impunè non paretur.  
l. fin. ff. de jur. dict. l. in criminali 5, §. 1. & ibi Dd. & l. 6. C. de jurisdic.  
Coeterùm quæ fundatam Jurisdictionem Camera habeant, vid.  
si placet accuratè apud Gail. 1. observ. 1. Schyvanmann. Process. Cam.  
tot. penè lib. 1. & haecenus de materiâ, nunc de formâ Supplica-  
tionum.

V.

Honorificâ Judicis compellatione præmissâ (a)  
nomen Supplicantis (b) factique species ordinatè &  
distinctè exprimat. (c) Jus, ex quo agitur, aptè  
subjungatur (d) de Jurisdictione doceatur (e) tandem-  
que petitio contra Reum (f) congruè attextatur (g)

B 2

adjectis,

Laicorum in  
re evacuan-  
dum  
fatiganda



adjectis, si quæ sunt, documentis; (h) atque ita de  
formâ Supplicationis constabit expedite. (i)

(a) Nefas enim videtur in foro causas dicentibus, nul-  
lâ præfatione factâ Judici rem exponere. *Gaius* §C. in l. 1. ff. de  
orig: Jur. quod non tantum debiti honoris, sed etiam fundandæ  
jurisdictionis ergo fieri debet. *Mind. lib. 1. cap. 6. num. 3.* (b) arg.  
l. Quotiens 9. §. 8. ff. de hered, Inst. l. Duo sunt Titii ff. de testam. tutel.  
ut sciat citandus; quemnam adversarium sit habiturus: appa-  
reatque, ad instantiam partis citationem esse emissam. *Mind.*  
*lib. 1. cap. 6. num. 22. videri etiam potest Gail. 1. observ. 50.* (c) *Schvvan.*  
*de proc. Cam. lib. 1. cap. 1. num. 12. §. secundo:* Qualis videbitur  
quando narratur BREVITER: Siquidem verborum prolixitatem  
jura respuunt l. ampliorem §. in refutatorius C. de Apell. PERSPICUE  
ut Judici de facti qualitate constare possit integrè: quo modo  
caussa & intentio, quâ quis nititur simul deducendæ: ut sci-  
licet Judex processibus eas inserere, & reus aliquo modo in-  
telligere possit, quare ad judicium vocetur. Sicut quotidie  
in Camera Mandatis videmus, quod intentionem Supplican-  
tis ita insertam habeant, ut de forma Supplicationis integrè  
constare possit. *Schvvanm. lib. 1. cap. 1. num. 12.* His contra non  
attentis, sit Decretum, wie gebeten / abgeschlagen / vel, ist daß be-  
geren vff vorbrachte narrata abgeschlagen: & VERITATI CONSEN-  
TANEE *Vimm. de proc. jud. disput. 5. th. 2. n. 10.* Unde generaliter ob-  
tinuit, quod qualitatem jurisdictionem fundantem, in Sup-  
plicationibus allegare sufficiat, probare non sit necessè. *text.*  
*eleg. in l. cum quedam puella. §. quotiens. ff. de jurisdic. Gail. 1. observ.*  
*31. num. 1. Castr. & omnes ferè Dd. Comm. in d. §. quotiens. Mynsinger.*  
*Cent. 2. observ. 9. Mind. lib. 1. cap. 14. num. 3. Bart. in l. 2. ff. si quis in jus voc.*  
*&c. in lect. num. 9. & in repet. num. 7. Gui. de Suza. in Auth. Qua in*  
*provincia. C. ubi de crim. agi op. Tancr. in marg. tit. de quest. Circ. jurisd.*  
*quest. 12. & Iohan. Andr. ad spec. tit. de competent. Jud. ad Cyn. & Julus in*  
*l. prescriptione C. si contra jus vel util. pub. quia ex eo, quod petitur,*  
*non quod debetur, jurisdictionem metimur. Jason. in d. §. quo-*  
*tiens num. 2. ibiq; Castr. Mind. & Mynsing. ad loc. Exceptiones hu-*  
*jus*

ius conclusionis tibi monstrat Gail. d. obs. 31. n. 3. cum seqq. Con-  
cludimus ergo, quod qui bene supplicet, cito petita impetret.  
arg. l. cum quedam. 19. §. 1. ff. de iurisd. Cujus rei Exempla in iure  
passim nobis fiunt obvia. Tres species factorum eleganter no-  
bis suppeditat l. Nepos Proculo 125. ff. de V. S. vide etiam, si lubet,  
l. lecta est in auditorio. 40. ff. de reb. cred. in pr. (d) Lex enim omnium  
divinarū & humanarū rerū Regina est; quam Præsidentem esse o-  
portet & bonis & malis: & Principem & Ducem esse, ait sum-  
mæ Stoicæ Sapientiæ Philosophus Chrysippus in l. 2. ff. de LL.  
Schvvanm. lib. 1. c. 1. n. 12. §. secundo. &c. Et cum Imperator dicatur  
habere jura in scrinio pectoris sui recondita, Communis Ca-  
meræ Practica iis gaudet Supplicationibus, quæ deductionem  
sui juris vel super Constitut. Imperii, vel jure aliquo locali  
(quod Imperator ignorare præsumitur, nisi de eo doceatur)  
habent fundatam, verbosas Legum allegationes, Ddumq; opi-  
niones subinde respuens: Ord. Cam. p. 3. tit. 40. §. Was aber &c. ibi:  
Doch daß er die Rechte nicht vberflüssig allegire/ damit dem Wider-  
theil zu disputiren vnd cavilliren nicht Ursach gegeben werde: i-  
mitando forsā l. C. Non tibi jus sed probatio deficit: quod in-  
nuit etiam Schvvan. modo d. loc. Mind. lib. 1. c. 6. n. 4. in fin. (e) nisi ea  
notoriè sit fundata. Wesenb. in parat. C. de prec. Imp. off. n. 6. vid. si vis,  
formulas Supplicationum passim apud Schvvanm. Meurer. teste etiam quo-  
tidiana praxi & stylo (f) Qui hic demum venit nominandus, quod  
videlicet his non attentis (juribus intellige.) N.N. Reus tale quid  
(factum puta.) commiserit. Ord. Cam. p. 1. tit. 22. §. Item welcher  
&c. Visit. de anno 64. §. Ferner demnach 17. & §. zu dem sehen &c. 19.  
Denais. cap. 292. §. 2. Qui enim non nominatur, non comparere  
reneretur, licet facta sit insinuatio & Executio processuū; Mynsing.  
Cent. 5. observ. 50. nec contumacia accusari, nec Proclama con-  
tra citatum decerni potest. d. §. 17. Visit. Abschied de anno 50. Cisner.  
cit. p. 2. Ord. Cam. tit. 22. fol. 145. Mind. lib. 1. c. 6. n. 14. l. quidam re-  
ferunt §. 1. ff. de jure Codicill. ubi dicitur, prius personam, quam  
rationem quærendam esse. Et qualitas sine subiecto stare non  
potest. l. ejus qui ff. si cert. pet. Fallit tamen hoc singulariter, si  
contra Communitatem, Civitatem vel aliquod Collegium

B. 3.

Sup-

De tribus specie-  
factorum  
De legum allega-  
tionibus.

Non nominatus  
parere non tenet



Supplicatur, quia tunc generalis & collectiva citatio subsistit: puta hoc modo, humillimè peto, contra Abbatem hujus vel illius Monasterii, Consulem & Senatores hujus vel illius Civitatis, Decanum & Capitulum hujus vel illius Ecclesie &c. Processus solitos gratiosè mihi decerni. *Oldrad. Conf. 100.* Cujus sententiam in Camera receptam fuisse refert *Mynsing. Cent. 3. obs. 18. Cent. 1. observ. 76. allegans ad hoc l. inter illam §. ult. ff. de V. S. Gail. 1. observ. 49. n. 6.* Sufficit etiam hujusmodi generalis vocatio, quando sunt plures Consortes unius Appellationis, quorum nomina probabiliter sciri non possunt: quo in casu unius vel duorum nomina specificare licebit: *Mynsing. Cent. 2. observ. 66.* modò offerat se Supplicans, die vbrigen Beklagten in progressu causæ in Cancellaria ferners zubenamsen: Præjudicium refert. *Mind. lib. 1. cap. 6. n. 17. cum seqq.* Sæpissimeq; practicatum meminit. *Schvvanm. lib. 1. cap. 1. n. 12. §. Altera.* (g) Sicut mendici non audiuntur, nisi paupertatem pro medio concludendi allegent: ita causa petendi, utpote medium concludendi (ex quo qualitas actionis intentatæ colligitur. *Gail. 1. observ. 61. n. 8. cum ibi not.*) non minùs in supplice, quàm actionis libello necessariò exprimenda *Mind. lib. 1. cap. 6. n. 26.* Sola enim conclusio ampliat, regulat, & restringit narrata: ita ut non quid narretur; sed quid concludatur, considerandum, Docti monuerint. *Rutger. Ru-land. de commiss. part. 3. lib. 2. n. 8.* & frustra Judicis imploratur auxilium, cui liquere non potest, quid Supplicans precibus suis voluerit. *Vmmius, de proc. judic. disp. 5. th. 2. in fin.* (h) teste quotidiana praxi; Præsertim in causis Appellationum, in quibus Instrumentum appellationis ideo Supplicationibus adjungendum est, ut Judici de die lata sententiæ, ejusque tenore; interpositæ item appellationis &c. constare possit, *Ord. Cam. p. 1. tit. 22. §. 1. Deput. Wormat. de anno 86. §. gleicher gestalt. etc.* (i) Generaliter, quæsò, nota, quod tibi §. 12. *Visit. anni 1550.* Præcipit, die Supplicationes sollen mit allem fleis ordenlich vnd formlich / dem Rechten / des H. Reichs Ordnung / vnd Abschieden gemess gestellet sein.

VI. Clau-



## VI.

Clausulam, *super quibus omnibus, rogo mihi Jus & Justitiam administrari*, secundum Practicam Juris communis, plurimum (a) Camerae verò observantiam hodiè in Supplicationibus nihil momenti habere (b) Gailius Juvenes Practicos admonitos vult fideliter. (c)

(a) Ut ejus virtute omnis actio, omneque remedium, competens & resultans ex narratis in iudicium deductum esse videatur. *Angel. in §. omnium. Inst. de act. num. 7. Iason, ibid num. 149. & num. 151. Felin. in cap. cum super. de offic. & potest. jud. n. 11. Alex. cons. 67. num. 5. vol. 2. incip. viso themate. Iason. in l. petens C. de pact. num. 3. cum seq. & in l. naturaliter. §. nihil commune ff. de acq. vel amitt. poss. num. 191.* Adeoque iudex in iudicando duntaxat rei gestæ veritatem, quæ ex actis constat & non solum petitionem actoris respicere debeat. *Mynsinger. Cent. 4. observ. 54.* Verùm quod Procuratores hac clausula abutentes, ita informes indoctasque Supplicationes traderent, (b) Ea constitutione Impræii est abrogata. *Visit. Abschiedt de anno 51. §. 4. & anno 1557. §. 17. Schyvanmann. lib. 1. cap. 1. num. 12. §. Postremò. Denais. de jure Camer. cap. 74. Mind. lib. 1. c. 6. n. 6. (c) lib. 1. obs. 61. n. 12. in fin.*

## VII.

Jure Camerae omni Supplicationi dies Exhibitionis superscribendus (a) nomina etiam Procuratorum subsignanda, addita clausula, **CAVENS DE RATO ET MANDATO.** (b)

(a) *Denais. de jure Cam. cap. 294. §. 6. Schyvanmann. cap. 1. num. 15.* Nam & diem, quo Supplicatum sit, scire Judicem, refert, & ad processus decernendos interest. *Memorial. de anno 1576. num. 2.* Tempus cæterum an sit de forma actus vide remissivè (si tua refert) apud *Iason. in Auth. Quæ Supplicatio C. de prec. Imp. off. n. 5.* (b) *Ord. Cam. p. 1. tit. 22. §. Es soll auch &c. p. 3. tit. 12.*

tit. 12. §. 1. sedē, ut quamvis mandato Procurator sit instru-  
ctus, idque una cum Supplicatione exhibeat, d. clausula ni-  
hilominus sit atrextenda. Schvvanmann. lib. 1. cap. num. 13. §. Nec  
sufficit: Atq; hæc de formâ Supplicationum plus satis: nunc de  
earundem sine quid dicendum, restat.

### VIII.

Processus (a) quando Judex decrevit, Suppli-  
catio ita ritē concepta, finem suum assecuta est.

(b)

(a) Qui pro diversorum factorum qualitatibus diversi  
& varii esse solent: Ut sunt Mandata sine vel cum clausula justifica-  
toria: Illa parti, contra quam exeunt, rectâ paritionem & Exe-  
cutionem sub certâ pœnâ sine ulla clausula de allegando ( si  
quod quis sentiat ) gravamine injungunt: Mind. lib. 2. cap. 10. n. 1.  
quod licet videatur iniquum: cum processus ab Executione  
inchoatus sit ipso jure nullus l. 1. C. de Execut. rei jud. l. si cum nul-  
la ff. de re judic. l. nec quicquam §. ubi decretum ff. de offic. Procons.  
& leg. l. Prolatam C. de sent. & inter loc. omni Jud. tamen quando a-  
liquod factum omni jure prohibitum & ita qualificatum est, ut  
Actor intentionem suam suff die vier fäll: de quibus Ord. Cam. p. 2.  
tit. 23. fundare possit, Adversativæ patrocinium nostrum polli-  
cemur: Hæc parti rationes, quare parere necesse non habeat,  
judicialiter proponendi relinquunt. Mind. lib. 2. cap. 6. num. 2.  
Ejusmodi verò Mandata cum cla. per comparitionem Rei in  
Citationes simplices resolvi, comm. Dd. opinio est: quos citat.  
Gail. 1. observ. 19. num. 5. & seq. Mandos. de Monit. quest. 17. num. 2. &  
quest. 2. num. 1. Citationes simplices, vel, ut aiunt, cause simplicis  
Querela; de Quibus, Schvvanmann. lib. 1. cap. 41. usq; ad cap. 66.  
tot. tit. ff. & C. de in jus voc. Processus tandem Appellatorii, utputa Ci-  
ratio, Cōpulsoriales & Inhibitio &c. In quæ omnia specialius in-  
quirere, flagrante quidem tenemur studio; Verum quia à no-  
stro instituto deflectunt remotius, & forsan volente Deo, in  
Praxi se aliquando dabunt obvia, ea in suum tempus differimq.

(b) Quem

(b) Quem finem consequi semper debet Supplicatio, nec Supplicans in suspenso relinqui. *Vvesenb. in parat. C. de prec. Imp. off. num. 7.* Etiam si Judex interdum Supplicanti pro facti qualitate aliud decernat, quàm perat, vel processu petitos partim deneger partim decernat. E. G. quãdo nimis maturè Supplicatur pro Citatione in casu protractæ Justitiæ, decernuntur (nam non facile ejusmodi quid contra Magistratum præsumitur) Promotoriales. *Vvesenbec. d. loc. Præjudicium hujus rei refert Mind. lib. 1. cap. 12. num. 21.* Atque hæc de propositâ hac Materia satis. Gloria, Laus & Honor, tibi sit dulcissime Jesu.

F I N I S.



C

AD



AD

Ornatiss. Dn. RESPONDENTEM.

**R**erge verendarum scrutans mysteria  
Legum,  
Egregii cursum studii, doctosq; la-  
bores,

PFEIL I, Pieria non inficiande catervæ.

Crede mihi, nunquam sudanti præmia de-  
sunt:


Ipsè Deus gnavae virtuti spondet honores.

αὐτογενεῖς

F.

AUGUSTUS BUCHNERUS

P.P.



Ad politissimum doctrinâ & moribus Dn.

RESPONDENTEM, unum ex

intimis.

**T**Ela volant, Te tela petunt, animo excipe forti:  
Tutelamq; Deum supplice mente roga.  
Non erit hic sudor frustra. Passum esse juvabit,  
Crinibus imponet cum diadema Themis.

II. Te-

**T**Emnuntur ora ubique Supplicantium,  
 Frustra rogant, si non rogat pecunia,  
 Quæ sola quidquid obtinetur obtinet,  
 Pennam, manus & corda Judicum regens.  
**P**FEILI, execraris hosce toto pectore,  
 Formasq; mentem sanctiori Jurium,  
 Curâ, scopum ponens Jehovahæ gloriam,  
 Et Christiani commodum sine commodo.  
 Hâc rupe constans rupis instar usque sis,  
 Olimq; miserum serio causas age,  
 Et Christianè : Christiana præmia  
 Certò sequentur hîc, & illic gaudia.  
 Gementium Judex Deus, Jcur non homo?  
 Prementium Vindex Deus, caveat homo.

*M. JOH. CUNRADUS Westersfeldt*  
*Coronamonte Wetteravus.*

---

**J**urâsti Aonidum PFEILI, perfringere portas:  
 Nunc fiet, votum Tu modò perge pium,  
 Irrumpes & sceptrâ geres, quamquam isvidet hostis:  
 Non nisi pugnando parta corona venit.

amicitiæ causâ apposuit

*M. JODOCUS HENRICUS*  
*Westersfeldt.*

Monr

**M**onstrorum quondam domitor Tirynthius  
Heros  
Hesperidum in domibus nemorosis aurca  
mala.

Dum fuit aggressus, Victor spolia ampla reportans,  
Debit horribilem magno frenare draconem  
Robore; sic, PFEILI, magno molimine mentis  
Aurifera in Themidos crescentia poma viretis  
Nunc auferre paras, Themidos dum pulpita scandis:  
Errores igitur, monstrosaq; dogmata fortis  
Victor debella, spoliis insignis abibis,  
Victorem comitantur opes, comitantur honores.

*Amico suo per dilecto*

*ἐλοψύχως* apposuit.

**JOHAN-JACOBUS BELHEIM**  
Spir. SS. Th. studios.



Vb 17

ULB Halle 3  
002 673 282




TA → OL









DISCURSUS JURIDICUS  
De  
**SUPPLICATIONI-**  
**BUS PRO EXTRAHENDIS**  
**PROCESSIBUS,**

*Quem conscripsit, &*

DIVINA FAVENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO,

*Amplissimi, Excellentissimi, Consultissimiq; VIRI*

**D. N. CONRADI CARPZOVII,**

**J. C.** in antiquissimâ atque celeberrimâ VVitte-  
bergensi Academiâ Antecessoris meritissimi, ut & Juri-  
dicæ Facultatis, Curiaq; Electoralis ac Consi-  
storii, Assessoris dignissimi &c.

**Domini Patroni, Præceptoris atque Pro-**  
motoris sui submissâ observantiâ  
honorandi.

*Publicæ Eruditorum censura subjiciet ac pro  
virili suâ defendet*

**JOHANN. WOLFGANGUS PSEJE**

Not. Pub. Gundelfingâ Brisingous.

*In Auditorio Jctorum.*

Ad diem 12. Septembris anni subsignati.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,

ANNO M DC XXIX.